

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 68. (Neovidensis 1808. Nro. 67.)

---

*Secretum litterarum commercium inter Vivos  
et vita functos*

Nobilis Germana matrona, ad æque nobilem  
Dominam Joannam a Morgenstern in  
Elysium.

Ex mundo superiore.

---

Elysium-Meum.-Die Veneris 2. Sep. 1808. (Neov. 16. Aug. 1808.)

---

Congaudeto mihi Cara Morgenstern! plena  
sum convictionis, plena gaudii, O! sanitate re-  
stituta sum; omnis scribendi cupido animo  
meo evanuit, speroque nunquam reversuram  
amplius; morbo meo levata, levata omni  
inanitate Philosophiæ Illuminationisque, qua  
actutum Stael, Genlis aliæque sexus nostri la-  
borant. Quæ nam revolutionis hujus in animo  
meo occasio fuerit, pauois adverte, docebo.

In regione, qua æstatem transigo, habitat  
nobilis quædam matrona, omnibus scientiis  
erudita, bellis artibus imbuta, a sapientibus  
ævi nostri in cœlos levata, ab omnibus cultæ  
mentis in patria nostra æstimata, & culta ac-  
cessu. Sex solum hebdomadis ruri degebat,  
quibus exactis rursum urbem repetebat.

Vicinitatis Jure eam invisere ausa sum,  
blande me excipiebat, deducebatque ad Mu-

sæum suum querebunda : ut sibi mens intendenda sit, ut progressum in sublimioribus disciplinis facere possit, quippe dicebat, cum fabulis Romanensibus, quæ olim tantopere arridebant, ferme actum hodie esse; infustum bellum horum scriptorum vix magicam dissipabat, plus *realitati* rerum hodie defertur, & hæc dolor! lugubri imaginum velo obducta est.

Ego ita sermonem adcommodavi, ex quo intelligeret, tua opera id ipsum continere, quod utilitatem adferret. Dictum habeo, reponerat, at opus bonæ Morgenstern de coctura, lotionem, supelletilis adornatione olim adeo stomachum meum moverat, tædioque me adfecerat, quod nihilominus in parte jam posui.

Interim destituimur nos feminae semper adhuc cognitione sublimiorum scientiarum, quam quæso hæc uber campus?

Adverſi modeste, me sublimiorum scientiarum rudem quidem, videri nihilominus mihi: nos fortassis beatiores perfectioresque futuras, si in eas incumberemus.

Hoc ipsum est, reponerat, quod ex aliquot annis, facio; at in quantum Labyrinthum Incertitudinum incidi! Vivimus, ait Voltaire in tempore, & assequi nequeo quid tempus sit? erramus duas inter æternitates *nec tamen notionem æternitatis* habere possum. Conſto corpore, & anima, neque tamen quid corpus, quid anima sit definitum habeo; Lego periego omnia opera a Cel. Lockio inchoando, ad patrem usque Cantium, torqueo, discrucio, ac fligo mentem ingeniumque meum &

quotidie magis intelligo, experior, Dilecta Domina! me minus, imo nihil scire. Eorum ex animi, qua feror curiositate ad Statisticam me converto, lego omnes Ephemerides, deglutio omnes novitates, combino, ad regulas politicas exigo, tum eventum incidit, omnes chimericos conceptus mentis subrepens — me miseram!

Ad hæc docta matrona flere; solabar eam, qua potui ratione. Inter ambulandum in tugurium incidimus, proque foribus anum deprehendimus, quæsi ex vetula: An unquam mente expenderit: quid tempus, æternitas, Politica sit? illa cachinnari, nec quidpiam ex iis, quæ memoravi, se intelligere, asseverare: se bono Deo confidere, qui eam beatissimis sedibus recepturus est, sibi quotidie agendorum curam unam fore, quotidie orationes fundere, psalmos decantare, & hac in Deum fracta fiducia se beatissimam mortalium esse, & perfectissima animi tranquillitate frui.

Hujus ego aniculæ felicitate velut fulmine icta, perculsa, dicebam comiti Philosophæ meæ: an non pudor est, Dominationem Tuam beatitudinem in sapientum libris quærere, cum præ Janua habeat? — Rectum tenet, reponerat illa, plus vice centupliei objeci mihi: felicem me futuram esse, si similiis ruditatis essem. Et tamen animo sentio: hæc impensa felicitatem non adepturam.

Hoc responso corde vehementer adfecta sum; memet ipsam explorabam, & reperi in me propensionem felicitatem cum ruditate junctam non precandi.

Rem totam Philosophis proposui, assensere omnes; at ego in hac cogitandi ratione video contradictionem, etenim: quid precamur in hoc mundo? felices fieri; at inter rudes plures felices censemus, inter cultiores mentis; ergo ruditas Culturæ mentis præponenda; nihilominus nemo hanc permutationem inire vult; ex quo conficio: pluris a nobis rationem fieri, quam felicitatem adpeti.

Ergo rationem fortunæ præferimus? an non hoc stupidum? imo plane amentię nota? ut hæc contradictio explicanda? — opperior a Philosophis nostris responsum, O Cara Domina! beati paupere spiritu!

Jam ad politicam Sphæram transeo, et sequentia facta memoro:

*Neapoli die 1. Aug.* Heri Consilium Status extra ordinem congregatum est, ad prælectionem sequentium Diplomatum excipiendam:

„1) Napoleon &c. Cum regnum utriusque Siciliæ per adeptionem dilecti fratris nostri Josephi Napoleonis ad solium Hisp. & Indiæ vacans effectum sit, idcirco definivimus: & definivimus sequentia: ut ceu sequela Constitutorum Bajonnæ die 20. editæ fundamentalis legis effectui dentur:

1) Dilectus noater, & carissimus affinis Joachimus Napoleon M. Dux Bergæ & Cliviæ a 1. Aug. 1808 Rex est Neapoleos & Siciliæ.

2) Regnum V. Siciliæ est hæreditarium in directa, naturali, legitima, & mascula posteritate secundum Ordinem primogenituræ, ex-

clussis in perpetuum feminis, earumque posteris.

3) In casu interimali, quo percara, & dilectissima soror nostra Princeps Carolina Conjugem suum superviveret, illa solum ascendet.

Post obitum cari et dilectissimi fratris nostri Joachimi Napoleonis, et perdilectæ Sororis nostræ Carolinæ, et in defectu masculæ naturalis et legitimæ posteritatis memorati Principis Joachimi Napoleonis Carolinæ, et defectu virilis, naturalis et legitimæ posteritatis memorati Principis Napoleonis, successio Regni V. Siciliæ recidit in nos, naturales, legitimos et adoptatos hæredes, et successores nostros. In Defectu nostræ virilis, naturalis, et legitimæ aut adoptivæ posteritatis Corona dicti regni recidit ad masculam, naturalem et legitimam posteritatem Principis Josephi Napoleonis Regis Hispaniarum; et in defectu virilis naturalis, legitimæque posteritatis R. Jozephi Nap. ad mares naturales, et legitimos posteros P. Ludovici Napol. Regis Hollandiæ, et deficiente mascula naturali, et legitimæ pro sapie Ludovici ad masculam nat. et legitimam progeniem P. Hyeronimi R. Vestphaliæ, et in Casu quo ultimus Rex nullos masculos hæredes relinqueret, ad eos, quos in Testamento Tabulis ex necessariis suis, vel quem dignissimum regimine V. Siciliæ censuerit.

5) Joachimus Nap. ut Rex V. Siciliæ retinet dignitatem M. Admiralis Galliarum,

quæ Coronæ Galliæ conjuncta usque perdu-  
rabit, quo hæc Lex successionalis vigebit.

Præsens Lex fundamentalis Archivo Se-  
natus Status inserenda, Regestris regni &  
Tribunalium inscribenda, & consuetis locis,  
usitataque forma promulganda & affigenda.

Datum in Cæsareo & Regio palatio Ba-  
jonnæ 15. Julii 1808. subscr.

Napoleon.

Per Imperatorem. Minister Status Se-  
cretarius subscr.

*Marat.*

Conformis copiæ. Subscr. Min. Status  
Secret.

*P. Ricciardi."*

„II) Joachimus Napoleon Rex V. Sici-  
liæ, audita relatione Ministri nostri negot.  
externorum decrevimus & decernimus, ut  
sequitur:

1) Sequens est titulus, quem in aditu  
Regni V. Siciliæ assumimus.

Joachimus Napoleon Dei Gratia, & ex Con-  
stitutione Status Rex utriusque Siciliæ,  
M. Admiralis Imperii.

2) Præsens Decretum Indici Legum in-  
serendum.

Datum Bajonnæ 20. Julii 1808.

*Joach. Nap.*

*Francofurti die 16. Augusti.*

Solennia Natalitia Napoleonis heri Jussu  
Serenissimi Principis nostri aliquot Districtus  
Principatus Aschaffenburg, invisentis hic per-  
agebantur. Pridie vespere, & die ipso Fe-  
sti matutina 6 hora solennia duplici ex 21  
machina belliea fragore annunciabatur. Intec

Campanarum pulsum & 50 tormentorum explosionem pro longæva Imperatoris vita, qua Rhenani Fœderis protectoris, Hymnus Ambrosianus, & festivos inter musicos concertus solennis Missa decantata. Omnes de Collegio diplomatico Civiles & militares Magistratus his solennibus in Templo urbis principe maximo, quo potuit adparatu interfuerunt. Excell. Conferentiarum Minister, & Gen. Commissarius C. a Benst cum Collegiis sexiga vectus, agmine Hussarorum stipatus, præcedente Principis famulatio, eo se contulit. Gallica provincialis militia, copiæque Principis Primatis Pyrobolarii, & venatores pulcerrimo adparatu in serie constiterunt. Tum sequebatur Convivium 30 ferculorum apud D. Ministrum in palatio Taxiano, cujus occasione inter fragores tormentorum incolumitati Protectoris Rhen. Fœd. litabatur, & Josephinæ Conjugis saluti. Regum porro et principum Fœderatorum victricam exercituum, Galliæ et Fœderatorum cum meritissimis Generalibus eorum ducibus, et Præfectis. Fragor denuo 6 verspertina resonabat, tum solenne Drama musicum Hadrianus Imp. in scena producebatur, in quo admodum heroi ævi nostri Prologus multo cum adplausu occurrebat. Theatrum collustratum erat, in urbe ædes Præfecti urbi, et Taxis, quæ 6000 lampadibus decoræ, potissimum renidebant. Hac ratione solennibus plenis lætitia, et Incolarum votis pro incolumitate Imperatoris, finis impositus est.

quæ Coronæ Galliæ conjuncta usque perdu-  
rabit, quo hæc Lex successionalis vigebit.

Præsens Lex fundamentalis Archivo Se-  
natus Status inserenda, Registris regni &  
Tribunalium inscribenda, & consuetis locis,  
usitataque forma promulganda & affigenda.

Datum in Cæsareo & Regio palatio Ba-  
jonnæ 15. Julii 1808. subscr.

Napoleon.

Per Imperatorem. Minister Status Se-  
cretarius subscr.

*Maret.*

Conformis copiæ. Subscr. Min. Status  
Secret.

*P. Ricciardi.*

„II) Joachimus Napoleon Rex V. Sici-  
liæ, audita relatione Ministri nostri negot.  
externorum decrevimus & decernimus, ut  
sequitur :

1) Sequens est titulus, quem in aditu  
Regni V. Siciliæ assumimus.

Joachimus Napoleon Dei Gratia, & ex Con-  
stitutione Status Rex utriusque Siciliæ,  
M. Admiralis Imperii.

2) Præsens Decretum Indici Legum in-  
serendum.

Datum Bajonnæ 20. Julii 1808.

*Joach. Nap.*

*Francofurti die 16. Augusti.*

Solennia Natalitia Napoleonis heri Jussu  
Serenissimi Principis nostri aliquot Districtus  
Principatus Aschaffenburg, invisentis hic per-  
agebantur. Pridie vespere, & die ipso Fe-  
sti matutina 6 hora solennia duplici ex 21  
machina belliea fragore annunciabatur. Inter

Campanarum pulsum & 50 tormentorum explosionem pro longæva Imperatoris vita, qua Rhenani Fœderis proteſtoris, Hymnus Ambrosianus, & festivos inter musicos concertus solennis Missa decantata. Omnes de Collegio diplomatico Civiles & militares Magistratus his solennibus in Templo urbis principe maximo, quo potuit adparatu interfuere. Excell. Conferentiarum Minister, & Gen. Commissarius C. a Benst cum Collegiis sexiga vectus, agmine Hussarorum stipatus, præcedente Principis famulatio, eo se contulit. Gallica provincialis militia, copiæque Principis Primatis Pyrobolarii, & venatores pulcherrimo adparatu in serie constiterunt. Tum sequebatur Convivium 30 ferculorum apud D. Ministrum in palatio Taxiano, cujus occasione inter fragores tormentorum incolumitati Proteſtoris Rhen. Fœd. litabatur, & Josephinæ Conjugis saluti. Regum porro et principum Fœderatorum victricum exercituum, Galliæ et Fœderatorum cum meritissimis Generalibus eorum ducibus, et Præfectis. Frigor denuo 6 vespertina resonabat, tum solenne Drama musicum Hadrianus Imp. in scena producebatur, in quo ad commodus heroi ævi nostri Prologus multo cum adplausu occurrebat. Theatrum collustratum erat, in urbe ædes Præfecti urbi, et Taxis, quæ 6000 lampadibus decoræ, potissimum renidebant. Hac ratione solennibus plenis lætitia, et Incolarum votis pro incolumitate Imperatoris, finis impositus est.

## B I O G R A P H I A.

Schulze, alias Morgenstern (Joanna Catharina) nata Brömme celebris, & pluribus scriptis nota mulier, luci edita die 8. Maji 1748 Magdeburgi; patre Senatore olim, & mercatore Magdeburg, Anno 1768. nupsit medico Magdeburg. Frid. Morgenstern, 1782 vidua facta, 1785. Senatori Magdeburgensi Schulze in manus venit. Ejus scripta, quæ absque nominis appensione prodierunt, magnopere probabantur, sæpeque edita, præcipue: Instructio feminæ culinam & rem familiarem moderari volentis, Magdeb. 2da Editio 1784. Pietas vespertina feminæ pro quolibet die anni, Tomi duo 1783. argumentum præbent cultæ ejus religiosæ rationis cogitandi. Scripsit porro documenta præctice pro juvenibus feminis. Tomos 3. 1786. Lib. lectionum pro ancillis T. 2. 1789. Experientias matris familias 1789. & novas Experientias matris fam. 1793 &c. Diversis periodicis scriptis continentur ab ea mentis conceptus & poemata. Honoraria, quæ per scriptionem sibi procurabat, nunquam sibi applicabat, sed semper piis usibus pauperum et miserorum sublevationi; nec quoquo modo vanitate, ad scribendum movebatur, estque in numerum earum feminarum referenda, quæ singulari ad scribendam ingenio, germanam simul femineam indolem, et custodiam reliquorum officiorum feminæ incumbentium adjunxit. Obiit 48 ætatis anno die 11. Sep. 1796. Ejus filius Carolus Morgenstern pluribus præclaris philosophicis et philologicis scriptis et dissertationibus nomen adeptus.